

— — — — —
NANTES. — IMPRIMERIE CERF, 50, RUE DU PLESSIS
— — — — —

2

DE

RODOLPHO AGRICOLA FRISIO

LITTERARUM IN GERMANIA

RESTITUTORE

THESIM PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARIENSI

A. BOSSERT

PARISIIS

APUD A. FRANCK, BIBLIOPOLAM

VIA DICTA DE RICHELIEU, 67

—
1865



INDEX

RODOLPHO AGRICOLA FRISTO

CAPUT I.	— Germania sub exitum XV. sæculi liberalissimis studiis inferior erat Italia	pag. 1
— II.	— Agricola discipulus Thomæ a Kempis	8
— III.	— Agricola in Italia studiorum causa commoratus.	12
— IV.	— De nova disciplinarum institutione.	17
— V.	— Epistola ad Barbirianum.	25
— VI.	— De Agricolæ vita, a tempore, quo ex Italia reversus est, usque ad mortem.	31
— VII.	— Libri de Inventione dialectica.	43
— VIII.	— Agricola litterarum sacrarum studiosus	56

APPENDIX

Agricolæ opera	61
De Agricolæ vita et meritis testimonia	62

DE

RODOLPHO AGRICOLA FRISIO

CAPUT I

**Germania sub exitum XV. sæculi liberalissimis studiis inferior
erat Italia.**

Etsi præstantis cujusque ingenii vis nullis temporis finibus circumscribatur, tamen mirandum est, quanto studio et quam multos post annos, antiqua ætate præterita, ejus reliquæ repetitæ sint. Antiquarum rerum cognitionem nunquam de memoria excidisse, satis notum est. Quæ cognitio longum per tempus secundum quidem locum tenebat, aliisque studiis quasi satelles ac ministra habebatur : sed tamen eo ipso tempore neque litteræ liberalissimæ neque aliæ disciplinæ omnino jacebant, quumque vetera exemplaria magna cum diligentia idque assidue custodirentur, jam aliqua pars operis absolvebatur eorum, qui insequenti ætate ex antiquis scriptoribus novum quemdam humanitatis cultum instituere conabantur.

Quem ad instituendum, quum doctissimis omnium gentium viris unum omnibus studium esset, ut etiam doctiores et antiquitate eruditiores fierent, tum in singulis regionibus, ut publica res et scholarum ratio ferebat, plus minus prospere litteris colendis incumbatur. Atque in optima omnium conditione tunc Italæ civitates erant constitutæ. Quarum cives, sive innata quadam elegantia, sive quod politissimæ artis monumenta ante oculos habebant, rectius sapiebant, et rerum pulchritudine magis delectabantur : deinde Petrarca, Boccacius, alii, multum profecerant, eodem tempore, quo ceteris in regionibus, præter scholasticas artes, fere nihil cognitum erat : tum majores etiam spes affulgebant, quum expugnato Byzantio plures, quam antea, ex Græcis provinciis in Italiam litterati homines transmigrarent : jam nullæ a finitimis populis fiebant incursiones, usque ad finem illius sæculi, quo tempore Francogallorum reges trans Alpes contendere cœperunt. Ita et domesticis et exteris rebus Italia utebatur commodissimis, ut ceteris gentibus in colendis litteris quasi dux et magistra præesse posset.

Ipsa denique illarum civitatum forma ad concelebranda studia maxime pertinebat. Quarum quod principatus non tam ex natalium claritate, quam ex gratia populi manabat, quicumque summam imperii obtinuerat, nisi diligentissimus esset opinionis suæ custos, suam suorumque auctoritatem conservare non poterat. Propter id principes et liberaliter vivebant, et studiorum

sese omnisque doctrinæ fautores atque admiratores ostendebant : qua ex re magnam sibi virtutis ac prudentiæ famam colligebant, et apud summos atque infimos pariter gratiosi erant. Tanti enim æstimabantur doctrinæ, ut si quis doctos homines vel domo invitaret, vel hospitio reciperet, is non eos modo sibi conciliaret, sed indoctam quoque plebem alliceret ad benevolentiam. Plurimi autem ex principibus illis ad id nulla alia causa magis, quam ipso doctrinæ amore, impellebantur : generosi scilicet et liberaliter educati, discendi cupiditate incensi, qui summa sua voluntate eruditos homines in consuetudine haberent : qualis olim fuerat Pericles : quales tunc erant Medicei.

Quod principes sua ipsorum causa, idem pro re publica civitates faciebant. Eas oportebat, ad tractanda negotia, gerendas legationes, ineunda fœdera, solertes ac peritos homines mittere posse : quales quia potissimum litterati videbantur, et majorem insuper dicendi copiam præstabant, eis idcirco amplissima deferebantur munera. Unde non illud solum fiebat, ut cum dignitate viverent qui toti se dedissent studiis, verum etiam ut eis, qui versari in re publica atque in ea se excellentius gerere vellent, in litteris aliquid elaborandum esset, tum etiam ut doctrinæ in medium prodirent omnibus profuturæ, neque laterent inter paucos eruditos. Quæ ne laterent, id quoque erat impedimento, quod Latina lingua in frequentissimum usum venerat : hæc enim et in sermonis consuetudine et in epistolarum commercio

non raro adhibebatur, et in publicis actionibus. si minus semper, tamen sæpissime usurpabatur.

Eo tandem res pervenerunt, ut omnes Itali, et præcipue Romani, in restituendis veterum monumentis suas ipsorum putarent illustrari litteras, atque in eo gloriarentur, quod ab antiquis illis et originem ducerent, atque etiam cum eis ejusdem linguæ vinculo essent conjuncti. Quocirca patriæ simul ac doctrinæ amore duci videbantur principes, qui magna impensa codices colligebant : nec minus splendidum existimabatur habere bibliothecam, quam statuis ac tabulis ornatam porticum. Quæ quanta fuerit progressus causa, nondum inventis typis, dicere non necesse est. Itaque liberalissimis litteris principes favebant, honorem tribuebat populus, humanissimus quisque inserviebat.

Ad tanta tot hominum studia academiæ nihil conferre non poterant. Quarum quamquam non mutata est instituendi ratio, tamen id novatum, ut in plerisque, præter ceteras, de quibus præcipiebatur, res, Græcæ et Latinæ litteræ etiam singulæ per se docerentur, nisi forte quis ad docendum deesset : nam in more erat positum, ut quum ceterarum artium, tum litterarum præceptores ad tempus, non ad vitam conducerentur. Quod præceptoribus quidem, nisi principem quemquam propitium haberent, nullo in loco habitantibus, molestum fiebat, sed tamen haud una via proderat studiis, quum et præceptores et civitates sic incitarentur ad æmulationem. et alumni multos magistros eodem in genere do-

centes, haud magno sumptu, audire possent. Atque eo quidem maxime studiorum amor, quantus esset, apparet, quod doctrina non certos aliquos habebat fines, quibus contineretur, et ne ipsis quidem concluderetur in academiis, sed aliis quoque in urbibus, de philosophia, eloquentia, antiquitate, qui præciperent, instituebantur : ut Florentiæ, Mediolani, Venetiis. Quæ urbes ex institutis illis eo majorem capiebant utilitatem, quod civiles viri, nisi humanioribus litteris eruditi essent, ad negotia gerenda se aptos fieri non posse putabant.

His omnibus de causis, quum litterarum studia in Italis civitatibus, a Petrarca primum et Boccacio vehementer incitata, magis in dies efflorent, atque ad summum culmen properarent, eisdem in Germania tanta erat crescendi difficultas, ut non multum a vero abesse videamur, si, de quibus rebus disceptavimus, eas omnino alias in Germania, atque in Italia, fuisse dicamus. Ac primum quidem, quamquam erant qui faverent studiis, ut princeps Elector Saxonius Fredericus Sapiens, Comes Eberardus Barbatus Virtembergensis, Joannes Dalburgius Vormatiensis Episcopus, quibus, inter alias favendi causas, etiam ea erat, ut devincirent sibi viros, qui Latinam linguam tam probe nossent, ut in gerendis legationibus ac mittendis epistolis non deridendi se locum præberent Italis : tamen ei litterati principes perquam pauci inveniebantur. Quum ita se domi res haberent, tum ab exteriori parte etiam minus adjumenti se offerebat Germanis. Qui barbariæ famam apud Italos

consecuti, sperare non poterant fore, ut ex ea parte insignis aliquis eloquentia vir docendi causa ad se veniret: ceteræ autem gentes tum minus provectæ erant in doctrinis, tum ipsæ sibi Italiam imitandam proponebant: nisi forte ab illis hominibus aliquid effici potuisse credamus, qui, ab Italis principibus missi, Latinos codices coemebant, atque ex monasteriorum latebris protrahebant: qui, confectis negotiis, asperiores regionem despicientes, sine mora domum revertebantur. Itaque nihil aliud supererat, nisi ut juvenes, ad discendum propensi, in Italiam abirent, doctiores mox redituri: quæ tunc non solum apud Germanos, sed apud omnes gentes habebatur consuetudo. Namque tantam eruditionis famam consecuti erant Itali, ut Romam, Boloniam, ceteras in urbes, in quibus academix florebant, magnus undique numerus conflueret discipulorum: qui postea ipsi in patria sua doctrinæ principatum tenere solebant. Tales fuerunt in Germania Rodolphus Agricola, Joannes Reuchlinus, Conradus Celtes, liberalia quidem atque excelsa ingenia, eo magis laudandi, quod, magnis difficultatibus objectis, solo doctrinarum amore impulsus, toti se in Musarum cultum verterant. Ipsorum tamen inanes irritique fuissent conatus, si jam antea probi aliquot iudemque modesti homines ad præparandum opus quasi in obscuro non elaborassent.

Hi vero, humiles quidem, sed omni laude digni, cœnendarum antiquitatis litterarum in Germania præcursores ex minoribus scholis, non ex academiis prodibant:

neque aliorum imitatione trahebantur, ac ne perpendebant quidem subtiliter id, quod faciebant, sed naturali suo atque incorrupto iudicio adducebantur, ut proba docerent, inania rejicerent. Ea de re Germani, etsi alioribus in studiis minus profecissent, tamen in prima puerorum educatione, ac pariter in erudienda plebe, ceteras gentes mature antecedeabant: quod quidem effecerunt ecclesiastici, de quibus amplius erit loquendum nobis. Atque ita, si omnem illam amplectamur ætatem, qua veteres scriptores quasi una voce repetebantur, Germanis id proprium fuisse apparebit, quod et inducebantur primum in ea studia ab ecclesiasticis viris, ac denique ad ecclesiasticas res investigandas redituri erant: nam sub finem ætatis illius, qui in Germania doctissimi erant, eos præcipue in sanctis litteris versatos fuisse, cuique notum est. In utrorumque numero quasi medium locum tenet Agricola, qui alteros puerili educatione, alteros extremis vitæ occupationibus attingit, ipse autem omni tempore doctrinæ initium ab antiquis ducere non desinebat.

CAPUT II

Agricola discipulus Thomæ a Kempis.

In Germania initium factum est restituendorum studiorum in ea parte, quæ inter Septentriones et occasum solis sita, remotissima est ab Italia: nam Frisia, Gueldria, Brabantia, Hollandia, quarum in urbibus primum antiquæ litteræ, Gerardo Magno impellente, ad lucem revocari cœperunt, tunc in Germanarum numero provinciarum habebantur. Is, et corruptis ecclesiasticorum moribus et neglecta puerorum educatione perductus, circa annum 1370, in urbe Daventria, liberale litteris deditum instituit sodalitiū, cujus membra quotidianum laborem subirent, neque monachos imitarentur eos, qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertiae quærebant: præterea communiter viverent, eisdem legibus uterentur. Cujus societatis qui participes erant, ei plerique in describendis codicibus occupabantur, ut qua ex re potissimum eos quæstum facere deceret: ac maxime quidem, ut videtur, veteres rerum ecclesiasticarum scriptores ab eis repeti solebant. Alii, vel doctrina vel

ætate proveciores, fratres atque sorores (nam et feminarum erant cœtus), scholis intererant, ea lege, ut pueros non tantum doctiores redderent, verum etiam salutaribus adjuvarent præceptis, ipsique eis exemplo essent.

Quamquam hoc Gerardi institutum non id ipsum spectabat, ut latinitatis græcitatique auctores ad imitandum proponerentur, tamen si nihil aliud effectum esset, atque id, quod Hieronymi, Augustini, aliorum Ecclesiæ patrum, qui dicuntur, scripta in manus veniebant, ea etiam melior fuisset disciplina, quam in Aristotelem commentariorum lectio. Sed neque antiqui scriptores neglecti fuisse videntur, et id quidem ad illustrandas litteras magni erat momenti, quod libri undique colligebantur et transcribendi curabantur, præcipue ei, qui ad theologica studia pertinebant, deinde ex ceteris ei, qui de moribus agebant.

Illi homines, et propter summam morum probitatem, et propter id, quod egentibus pueris, discendi cupidis, chartas, libellos, et quæ opus erant, ministrare solebant, magnam et doctrinæ et virtutis famam consequentur. Jamque ab aliis urbibus occasio data est ad nova instauranda collegia, Daventriensi similia, et mox tantum profectum est, ut Gerardi institutum ad proximas regiones, usque ad Vestphaliam et Saxoniam, emanaret¹.

¹ Conferantur : *Jacobi Revii Daventriæ illustrata, sive historiæ urbis Daventriensis, libri VI* (Lugduni Batavorum, 1641), pag. 29-31, p. 35.

In Daventriensi autem schola homo educatus est, qui ex humili vita ad insignem pervenit memoriam : Thomam dicimus, a Kempis, qui libros *de Imitatione Christi*, si non composuit, certe vulgavit et quasi edidit, et idem in eorum habetur numero, qui litterarum studia in Germania restituerunt. Is, relicta Daventriensi schola, præfectus est collegio S. Agnetis, prope a Zvolla : ibi mortem obiit anno 1471¹. Magister fuerat nonnullis, qui ipsi se postea doctrina illustraverunt : inter quos Rodolphus Agricola (sua lingua *Huesmann*).

Is in vico ad Groningen, qui vicus Basloo appellatur, anno 1443, Augusto mensi², obscuris natalibus³ ortus, ex illis egentibus fuisse videtur, qui et puerilem educationem et vitæ commoditatem fratrum beneficio habebant, quorum in tectis recepti erant. Condiscipuli fuerunt ei, in schola Zvollensi, quinque Vestphali adolescentes, pari incensi studio, parem sibi doctrinæ laudem parituri : Rodolphus Langius, Mauritius Comes Spiegelbergi, Alexander Hegius, Ludovicus Dringeburgius, Antonius Liber. Quibus Thomas a Kempis, ad meliorem discendi rationem assuefactis, non tritos artium libros, sed ipsos linguarum doctrinarumque fontes, id est veteres, quos poterat, proponebat. Quin et viam eis aperuit, qua ipsi, nullo duce, longius procedere

¹ Daventria illustrata, pag. 63.

² *Melchioris Adami Sitesii Vitæ Eruditorum* : editio tertia, Fraucofurti, 1716 : (Vitæ philosophorum, pag. 6).

³ Ut testatur *Ubbo Emmius*, cujus brevem de Agricola commentationem excerptam invenies in Appendice.

possent. Quum enim expugnati Byzantii tota Europa fama discurreret (magnæ quidem rei fama etiam major), et per frequentiores Græcos advenas studia in Italia increscere dicerentur, nolens alumnis suis tantam eruditionis spem prohiberi, adhortatus est eos, ut illic in litteris proficiendi, imo se perficiendi causa aliquamdiu commorarentur: quod primum fecerunt Comes Spegelbergi et Rodolphus Langius. Ipse Agricola, sive quod non ita cultum se existimaret, ut posset in elegantissimorum hominum celebritate vivere, sive domesticis rationibus impeditus, studiorum causa Lovanium profectus est. Inter hujus academiæ cives, juvenis cujusdam consuetudine ad Francogallicum sermonem assuefactus, inde Parisios transire statuit, ubi jam provectiores erant litterarum doctrinæ. Eo loco suæ gentis virum, Vesselum, frequentabat: atque ipse tunc, ut verisimile est, ad magistri gradum est promotus. Ita pluribus annis et dicendo et docendo consumptis, quum proficiscendi facultatem paravisset, tandem in eam contendit regionem, cujus visendæ quicumque scientiæ cupiditate incensus desiderio tenebatur: anno 1476, ætatis tricesimo tertio.

CAPUT III

Agricola in Italia studiorum causa commoratus.

Sæpe animadversum est, qui nati in regionibus ad Septentrionem sitis, orationis cultum artiumque suavitatem quærebant, eos, naturali quadam dulcedine tractos, ad Italiam se convertere solitos esse. Etenim, ut nostris temporibus poetæ pictoresque in Germania fuerunt, qui, trans Alpes si migrarent, calidiorem quemdam ingenii fervorem se inventuros putabant, ita eo, de quo dicimus, tempore, quotquot docti erant, nisi eo contenderent, doctiores se fieri posse non judicabant. Et nimirum, quibus domi anguste utebantur, ea omnia in Italia in promptu habebant. Qua in regione et veteres libri, vel manu descripti, vel typis repetiti, multis aderant exemplaribus, et novi ad illorum imitationem componebantur, et utrique tum privatim legebantur, tum recitabantur in scholis, et academiæ civibus scribendi cogitandique exempla proponi solebant. Quin et ipsis rebus, statuis, monumentis, ruinis, grandis quædam insidebat antiquitatis imago. Tum et Latine loqui

erat in more positum, et Græce docebant Græci, ut Cæsaris tempore fieri solitum erat, et principes in porticibus ac villarum umbraculis, inter deorum heroumque simulacra, in doctorum societate philosophantes deambulabant. Nonne igitur ex aliis regionibus advenæ veterum Romanorum quasi hospitio se receptos credere poterant? Qui quanta afficerentur admiratione, ex ipsorum verbis cognoscimus, quod in patria reduces terram illam feliciorum animo respicere non desinebant.

Quibus rebus ad æmulationem non tantum incitabantur, verum omnia etiam eis adjumento ac subsidio erant, ad id, quod maxime prosequerentur, commodissime efficiendum. Ut enim nihil aliud nisi veteres auctores cognoscere atque intelligere intendebant, ex quibus in melius ac majus reficerentur doctrinæ, et nova institueretur humanitatis disciplina, ita vix alia potest ætas cogitari, qua plures fuerint earum rerum periti, quam tunc florebant in Italia. Imo etiam ei, qui diversis in artibus versabantur, Græcum et Latinum sermonem subsecivis operis colebant: quo manifestum est, antiquas litteras tunc in Italia quasi in medio loco fuisse positas, ad quas omnia studiorum genera referrentur. Quod vero tanti aestimabatur litterarum scientia, eo major in dies et audientium numerus fiebat, et docentium: ut ei, quos diximus, Germani viri, quum in Italiam venissent, tanta invenirent studia, quanta non temere se in patria incitatueros sperare possent.

Eos inter omnes excelluisse Agricola, documento

est, quod jam antea, quam de patria profectus erat, non solum doctos susceperat labores, verum etiam opuscula quaedam in lucem proferenda et, ut quidam testantur, typis describenda curaverat¹. Nihilominus, quum aliquos annos Lovanii Parisiisque commoratus esset, et ipse jam docuisset, per quos viros tunc Italia florebat, in eorum disciplinam se tradere ipse sibi consuluit. Ac plerumque Ferrariæ se continuit : qua in urbe, Estensium principum præsidio atque tutela, litterarum studia vehementer colebantur. Inter Ferrariensis academiae doctores primum locum tunc tenebat Theodorus Gaza, studiosissimus Aristotelis, neque scholis tantum, sed scriptis quoque insignis, qui, naturalibus rebus intentus, nonnulla et Aristotelis et Theophrasti scripta in Latinum sermonem verterat. Cui fere soli debebat Agricola, quos in illorum philosophorum cognitione et in Græca lingua ediscenda faciebat progressus. Latinitatis autem ei maxime erat auctor atque interpres Batista Guarinus, ætatis illius professorum celeberrimus ab Angelo Politiano, superlata quidem laude, vocatus². Alios per multos ea florebat academia : qui diversis in generibus mercede docentes, ad quinquaginta duo numerantur³.

Hæc et urbis amplitudine et doctorum hominum celebritate admodum delectatum fuisse Agricolam, ex ora-

¹ Cf. Erhard, *Geschichte des Wiederaufblühens wissenschaftlicher Bildung*, vol. I. pag. 411.

² Polit. Epist. I. ep. 20.

³ Documento est Borsetti *Historia Ferrariensis gymnasii* (1735, 2 vol.), cit. ap. Heeren (*Geschichte der classischen Litteratur im Mittelalter*, vol. II. p. 411).

tione cognoscimus, quam in præsentia Herculis Estensis præstantissimorumque academiæ virorum habebat : qua in oratione dicit : « Ferrariam, quam rectissime *ferre auream* Carbo noster solet interpretari, non alia mihi videor nota magis propriè signaturus, quam si dicam Musarum ipsam esse domicilium, et Veneris, id est venustatis, otii, pacis omniumque rerum ubertatis : et Musis ob id, præsidibus humanitatis atque eruditionis, quæ otio gaudent, quiete aluntur, merito dicata ¹. » Quam propter urbis elegantiam de barbarie se excusans : « Quid est, inquit, quod ego, ad Oceanum et prope ad ultimos rerum naturæ terminos natus, ab isto Germanico horrore ingenii sperem vel novum, vel his limitatissimis auribus dignum posse præferri? » Sed tamen brevi tempore tantum profecit, ut et ornate scriberet et suaviter loqueretur, quæ res tunc in Italia haud minoris habebatur, quam olim in Romanorum vel Atheniensium concionibus.

Hæc inter studia quinque videtur annos commoratus fuisse : nam ante annum 1481 eum in Germaniam rediisse, nullum est indicium. Insequenti ejus vitæ magni fuit ponderis, quod Ferrariæ Joannem Dalburgium et Theodericum Plinium ² amicitia sibi conjunxerat, quibus postea adjutoribus ac præsidibus est usus. Verum id

¹ In laudem philosophiæ et reliquarum artium oratio : — in Agricolæ operibus, ab Alardo Aemstelredamo editis, altero volumine seu *Lucubrationibus*, pag. 156.

² Germ. *Johann von Dalberg, Dietrich von Pleningen*.

etiam majus erat, quod eum, antiquitatis admiratione imbutum, spes tenebat, quo Italia pervenisset, eo etiam patriam suam, multis difficultatibus superatis, aliquando pervenire posse. Adeo enim vigebat animo, ut qui paulo ante dignum quidquam auditu se proferre posse desperaverat, idem hæc elata verba ad Langium scriberet : « Summam in spem adducor, fore aliquando, ut priscam insolenti Italiæ et propemodum occupatam bene dicendi gloriam extorqueamus, vindicemusque nos, et ab ignominia, qua nos barbaros, indoctosque, et elingues, et si quid est his incultius, esse nos jactitant, exsolvamus : futuramque tam doctam atque litteratam Germaniam nostram, ut non Latinius vel ipsum sit Latium¹. »

Eam bene dicendi gloriam proximam quidem, sed non solam quærebant viri, qui eadem cum Agricola de studiis erant sententia : qui exquisitam illam latinitatem, velut proprium insigne, præ se ferebant, quo facilius ipsorum veterum scripta et oculis submittere et animis inducere possent. His enim omnem honestam liberalemque educationem contineri censebant, ex quibus et bene facienda et recte cogitandi exempla proponerentur pueris, et ipsa rerum cognitio peteretur. Id et scriptis suis Agricola prædicabat, et doctiores illius temporis plerique exoptabant. Quæ verò efficiendi facultas esset, quibus utendum auxiliis, quæ novis studiis adhibenda ratio, quantum in singulis elaborandum, his de rebus peculiaris scholarum conditio erat consulenda.

¹ Lucubrations, p. 178.

CAPUT IV

De nova disciplinarum institutione.

Ut singula quæque ætas singulæ cujusdam artis gloria excellit, ita postquam diu floruerat dialectice, ab exeunte XV. sæculo omnia iterum ad litterarum studia referri cœperunt. Illius temporis quum doctissimi homines viderent, qua humanitatis suavitate antiqui vel maxime delectati essent, eam in lucem revocaturi, calente statim studio illorum scripta adorti sunt. Ac non modo in posterum se talibus auxiliis plurimum effecturos confidebant, verum superiora etiam tempora, quominus ab illa elegantia aliena fuissent, eo magis laudanda putabant. Quæ est causa, cur et de media ætate, quæ dicitur, haud bene existimaretur, et Germani etiam tum barbari haberentur ab Italis. Namque id iudicium ad res omnes adhibebatur idem: quo Latinius, eo præstantius. Quam nimis angustam iudicandi rationem castigavit Erasmus in *Ciceroniano*: sed concedendum est, tam paucos homines, nisi certum quidquam, etiam

multis aliis neglectis, spectassent ac voluissent, nihil omnino acturos fuisse.

Neque tamen immerito in opinionem barbariæ venerat Germania, quæ et antea parum profecerat in doctrina, atque etiam parum proficere videbatur, et recentiores habebat academias, et minus auctoritate valentes. Quæ alia contra erat Italiæ conditio! quantis et quam precocibus aucta studiis! et quantum profectura, quæ tamdiu litterarum suavitatem custodierat! Neque deerant illic doctrinarum sedes: mature inventi erant docti homines, qui, nulla coacti necessitate, neque ulla religione obstricti, sua sponte in cœtus coirent, eo solo consilio, ut et ipsi discerent et alios edocerent. Inde litterarum collegia initium ceperunt: nam quum principes magistratusque vidissent, societatibus illis ornari posse civitates, tum eas, præcipuo jure instructas et patrocínio quodam adjutas, certis locis tueri statuerunt, aut novas instituerunt. Quarum brevi tempore plures, et audientium numero et docentium nominibus illustres, in Italia, Gallia, Anglia, exstiterunt. At contra in Germania, si quis doctior fieri volebat, longo itinere oportebat vel Parisios, vel in Italas urbes se conferret: et quamvis Carolus IV. imperator Pragæ et Vindobonæ curaret academias formari (annis 1348, 1365), et paulo post Heidelbergæ, Colonia, Erfordia pariter instruerentur (annis 1386, 1388, 1392), tamen parum effloraerunt doctrinæ. Neque enim Petrarca et Boccacius, a Carolo imperatore vocati, Pragæ venerunt, neque instituta illa,

ad similitudinem Parisiensis academiæ facta, huic potuerunt æmulari, et, quid plura? studia parva remanserunt.

Id autem maxime impedimento erat, quin multum proficeretur in doctrinis, quod unaquæque disciplina formulis quibusdam suis arte erat conclusa. Namque theologus ad Lombardi sententias, philosophus ad verba Aristotelis nomine tradita, jurisconsultus ad canonici civilisque juris præcepta erat astrictus: medendi artem a Galeno, mathematicen ab Euclide ducebant: et si qua doctrina tralaticio illo studiorum ordine non continebatur, ea plane jacebat, adeo ut, exempli gratia, de historia quidem (quam sic appellamus doctrinam) nemo videatur illo tempore scholas habuisse. De antiquitate vero tantum prodibat in lucem, quantum per grammatices disciplinam tradebatur: idque ad solos Latinos scriptores pertinebat: Græca enim lingua, post Ecclesiæ discidium, in regionibus occidentalibus paulatim de memoria exciderat, neque antea, in Germania quidem, nota fuerat unquam. Ipsi Latini parum legebantur, quod libellorum inopia excusari potest, et si legebantur, ea erat legendi causa, ut flosculi aliqui carperentur ex eis, et in commentariorum hortulos colligerentur. Quare et maxime placebant ei, quibus copia erat sententiarum: utiliores nimirum, quod ad exemplum trahi et ad mores adhiberi poterant. Ex ipsis philosophis, præter Aristotelem, magnam habebant auctoritatem Seneca et Boethius: quorum alter, ut christianus, etiam gratior. Qui vero

doctissimus haberi volebat, is meditandis Apuleji scriptis demersus erat. His fere scriptoribus paucisque aliis, Virgilio, Terentio, Ovidio, antiquarum litterarum notitia concludebatur : eosque qui legebat, id magis intendebat, ut graviora quædam notaret, vel grammaticorum leges confirmaret, quam ut ad illorum mentem voluntatemque propius accederet.

Quum ita se haberent academiae, eas nihil ad corrigenda studia conferre potuisse, facile intelligitur. Namque, ab una parte, illi homines, qui in melius rem vertere intendebant, scholasticas artes non solum pro nihilo ducebant, sed etiam acerrimis verbis ita castigabant, ut quum magistrorum, tum discipulorum susciperent inimicitias : ipsi nimirum, ardore quodam et alacritate rapti, pugnam non timentes, sed aventes. Ab altera parte, magistri artium angustis suis formulis ita erant illigati, ut neque ad res novas, etiamsi vellent, accedere possent, neque veterem suam dimitterent doctrinam, qua plerisque admirandi videbantur.

Quocirca ad scholas minores respectum est, quæ et minus severe institutæ, et minus vexatæ erant. Quales jam plures in Hollandia et Frisia vigeant, ex quibus doctissimi temporis illius aliqui profecti erant : ita ut, quæ scholæ initium fecerant restituendæ doctrinæ, per easdem studia porro ducerentur. Fuerunt enim, qui novas, prioribus similes, instituerent, postquam illorum hominum pars, de quibus diximus, ex Italia fuerunt reduces. Quam ad rem magni erat adjumenti artus ille

conventus fratrum, qui, etsi non ad severum monachorum corpus pertinentes, ultro tamen aliis alii suam operam offerebant.

Erat eo tempore Hegius scholæ Daventriensis Rector, cujus mentio inter ejusdem ætatis litterarum doctos summa cum existimatione fieri solet : neque tamen videtur in primis eruditus, verum potius scholasticarum rerum peritus, atque ipso usu perdoctus fuisse¹. Hunc magistrum habebat Erasmus, amicum Agricola. Ejusdem societatis Antonius Liber docebat Kempis, Alcmariæ, Aemstelredami. Eæ quidem scholæ jam dudum exsistebant : inter novas Monasteriensis clarissima facta est, quam Rodolphus Langius, illius urbis Ecclesiæ Episcopalis antistes, invitis et monachis eis, qui a mendicando nomen habent, et academia Coloniensi, de integro instauravit, et Timanno Camenero, Hegii discipulo, Rectore, viros ad docendum aptiores instituit. Hæc schola pueros non tantum ad humanitatem, verum etiam ad magistri munus gerendum informabat : qui magistri facti postea in alias urbes abibant. Ita illa doctrinæ semina, quæ primum in Germania inferiori pul-

¹ « Adeo fuit *philomathes*, ut etiam tum, cum Rectorem scholæ Daventriensis ageret, non dedecori sibi duxerit, ex Agricola, quæ ignoraret, aut de quibus dubitaret, suscitari ac discere : sæpius etiam rogare, ut litteris suis limam adhiberet. Fecit id Rodolphus candide, et, qua fuit modestia, eandem censuram ab Hegio petiit. » (Daventria illustrata, p. 130.) Cf. Agricolæ epist. ad Hegium, in Lucubrationibus, p. 187.

« Virum eruditum, sanctum ac facundum nominas, sed qui gloriæ contemptu nihil magni molitus sit. » *Erasmus*, in Ciceroniano (Oper. omn., Lugd. Batav. ed., 1703-6, t. I. p. 1014).

lulaverant, in aliis quoque regionibus accrescere et paulatim efflorescere cœperunt. Ad quod multum etiam contulit ludus litterarius, quem Dringebergius, eorum, de quibus modo diximus, discipulus, Agricolæ consilio atque auctoritate, Selestadii, Alsatiae in urbe, instituit: inde enim exierunt nonnulli, qui inter litteratissimos proximi temporis fuerunt, ut Bebelius et Beatus Rhenanus.

Si juvenilis ætatis educatores, quos memoravimus, ei omnes meritam sibi laudem colligebant, non minus egregie se gerebant illi, qui instrumenta parabant, viam ostendebant, et quasi inter barbaros humanitatis cultum profitebantur: quorum maximi, præter Agricolam, Reuchlinus et Celtæ: ut alteris præcipientibus, alteris alumnos librosque mittentibus, instituta litteraria et plura in dies et frequentiora facta sint.

Quibus institutis qui præpositi erant, hoc præcipue studebant, ut sua docendi ratione alumnos, brevi tempore ab elementis expeditos, ad eos fontes deducerent, quibus ipsam censebant contineri doctrinam, id spectantes, ut allicerentur atque excitarentur eorum animi, tum etiam ut cum ingeniis simul et mores formarentur: quod quidem præceptum usque a Gerardo Magno erat petatum. Ad hanc sententiam ea quoque adducebantur ratione, quod utendum erat veteribus in scholarum usum receptis libris. Qua de re ad Hegium scribit Agricola, fratrem suum juniorem Henricum litteris edocendum Daventriam mittens: « Valde cuperem prima eum elementa quam citissime perdiscere. Quoniam, mea sen-

tentia, longiore circa hæc mora, non tantum tempus amittunt pueri, sed quemadmodum a nostris scis tradi, horrore quodam barbarieque imbuuntur, ut postea non serius modo, sed difficiliter meliora percipiant¹. »

Ad hanc rationem adhibendam, duæ res erant necessariae : primum, ut veterum scripta quam plurimis paterent, tum quoque ut meliores libri ad scholarum usum ederentur. Quæ altera res ut efficeretur, cœperunt alii usitatos libros annotationibus corrigere : alii novos composuerunt. Ac primum quidem Latinae linguae lexicon conscriptum est a Reuchlino : grammaticæ autem, melioribus in scholis, ex Donato, in epitomen coacto, docebatur. De Græca lingua duces initio sumebantur Neogræci, ut Chrysoloras, Lascaris, Theodorus Gaza. Quam rem Germanice primus tractavit idem Reuchlinus, nec multo post Celtes : quorum libri, etsi nullis, ut videtur, typis descripti, multum tamen inter amicos versabantur.

Quum ita in utraque lingua elaboraretur, Græca tamen majoribus obstructa erat difficultatibus atque impedimentis : cujus doctrina, ab Agricola primum et Reuchlino excitata, demum præcipue Erasmi et Melanchtonis opera aliquantum effloruit. Quid mirum enim? Libri difficiles inventu : codices rari : serius, quam Latini, typis repetiti. Ipsæ litterarum formæ decrant, ut etiam in Latinis libris Græca loca inania relinquenterent. Quas inchoavit, qui Priscianum edidit, anno

¹ Lucubrationes, p. 188.

1501, cum hac prænotatione : « Habes en, candide lector, Prisciani duo de constructione volumina, Græcis litteris, id quod in Germania nunquam antea contigit, pro necessitate expressa Erfordiæ, per Lupambulum Ganymeden¹. » Quum Græci libelli adeo rari essent inventu, utilissimum erat, ut, qui in promptu essent, ei quidem ab eruditis viris Latinæ traderentur consuetudini : quod fecerunt Agricola, Reuchlinus, Erasmus. Atque eo modo translati libri celerius, quam ipsa Græca exemplaria, repeti ac vulgari solebant.

Itaque, vel scholis habendis, vel libris suppeditandis, ad unum omnes finem contendebant, ut pulsus disputatoribus et revocatis veteribus, ad usum vitæ accommodarentur doctrinæ. Ac major in dies spes affulgebat, brevi tempore mutatum iri studiorum conditionem : jam enim illi viri et eruditione sibi conciliabant juvenes, et multum consilio apud principes valebant, ita ut ipsi tandem artium magistri, quin pedem referrent, facere non possent : quod, inter alias urbes, Heidelbergæ evenit, curante Agricola, auctore Dalburgio. Aptiores tamen ad nova studia erant recentiores academiae, ut Vitebergensis, anno 1502 a Duce Frèderico Sapiente condita : quæ novas disciplinas ab initio recepit. His adjumentis, atque eorum hominum, de quibus diximus, assiduitate, tantum effectum est paucis annis, ut novi libri, nova studia, novi magistri, jam omnibus locis in scholas irruerint.

¹ Germ. *Wolfgang Schenck*.

CAPUT V

Epistola ad Barbirianum.

Quid autem illi homines de serie connexuque doctrinarum et de optimo studiorum genere opinarentur, ex opusculo quodam, quod continetur epistolis Agricolæ, perspicuum est¹. Is habebat juniorem amicum, et quasi alumnum, Antverpiensem, cui summa erat familiaritate devinctus : adeo ut exoptasse videtur, ex Italia reversus, illa in urbe considerare posse, eo consilio, ut cum amico viveret. Namque antehac scripserat ad eum : « Statueram (si id, quod cupiebam, evenisset mihi, ut ad vos me reciperem) omni cura atque diligentia te instruere, et velut in peculiarem quamdam gloriam meam in studiis educare, et eo te perducere, quo soleo nunquam putare me pervenire potuisse, si quis mihi, quum essem ea ætate, qua tu nunc es, dux formatorque studiorum fuisset². » Quum vero diversa vitæ conditio

¹ In Lucubrationibus, p. 193-201. — Cum aliis de eadem re opusculis editum, sub hoc titulo : « Libellus de formando studio vere aureus, dignus qui studiosorum omnium manibus teratur, cujus auctores sunt doctissimi viri *Rodolphus Agricola, Erasmus Roterodamus, Philippus Melancthon.* » Colonisæ, 1532.

² Lucubrationes, p. 213.

eos usque distineret, Agricola, ut tamen præceptor esset amico, paucis conscribere statuit, qua ratione ei studia tractanda putaret.

Atque initio statim ponit, duo esse in formandis studiis spectanda : prius, quod studiorum genus cuique sectandum : deinde, qua ratione quis in eo, quod elegerit, plurimum efficiat. Quæ duæ res ordine tractantur.

Ac primum e studiorum ambitu scholastica scientia omnino excluditur : quæ, ut inanis labor, quo excrucientur magis animi, quam exerceantur, his verbis ab Agricola vituperatur : « Plerique loquaces has, et inani strepitu crepitantes, quas vulgo artes jam vocamus, sibi vindicant : et perplexis disputationum ambagibus, vel etiam (ut verius dicam) ænigmatibus, diem terunt. Quæ tot jam sæculis nullum invenerunt OEdipodem, qui ea solveret, nec inventura sunt unquam. His miseras adolescentium onerant aures, hæc subinde ingerunt inculcantque : et in plerisque meliorem ingenii spem atque frugem, in tenerioribus adhuc annis, velut in herba enecant¹. » Adjicit tamen ironice, non velle se solum damnare, quæ omnes laudent, neque artes despiciere, quas famam, auctoritatem, honores, opes cultoribus afferre videat : scire se istas utique esse vendibiliores ceteris, et melioribus : has enim implere animum, illas arcem. Quod si Barbirianus lucri ratione ducatur, aliquam ex illis colendam sibi eligat, sciat tamen, si id fecerit, unum se agere cum fœneratore : sin

¹ P. 194.

autem credat, quæ honesta sunt sine præmio esse expendenda, ad philosophiam se vertat. Nam novæ illius disciplinarum institutionis summus gradus habebatur philosophia, cujus proprium esse dicit Agricola, ut recte de rebus omnibus sentire, et quæ sentimus commode eloqui doceat.

His præmissis, partes memorantur philosophiæ : quæ duæ sunt : omnia enim, quæ philosophando inquiramus, vel ad mores nostros atque actiones, vel ad rerum naturam pertinere : quorum unum per moralem disciplinam, alterum effici per metaphysicam. Quæ altera pars nihil aliud est, nisi universa quædam doctrina, qua omnes de animalibus atque inanimatis, de terrarum situ atque historia gentium inquisitiones, ac pariter liberales artes continentur : ut videatur Agricola omnem rerum cognitionem uno conspectu intueri atque una comprehensione complecti voluisse. Ipse profitetur has artes atque inquisitiones se scire non ea disciplinarum parte contineri, sed tamen, quia cognatæ sint illi et ab eisdem defluant fontibus, ab eundem ordinem eas redigi posse. Qui doctrinarum fontes non tam ex ipsis naturæ rebus, quam ex antiquitate manabant, ex qua eo tempore et naturæ et veritatis exempla fere omnia sumebantur. Quare et Agricola eas modo doctrinas distinguit a metaphysice, quæ non omnibus numeris et partibus ex antiquis auctoribus hauriri poterant : ut jus et theologia. At medendi artem includit, quo consentit cum Erasmo, qui sperare se dicit fore brevi tempore, ut

turpe esse existimetur medicinam quemquam profiteri, Græca lingua non eruditum¹.

Jam vero de singulis percipiendis doctrinis hanc unam regulam Agricola ponit, veteres auctores perlegendos esse, qui ea tradiderint, atque illos potissimum, qui rebus notatione dignis clarissimum addiderint orationis genus, ut eadem opera et rerum cognitio et comode eloquendi ratio attingatur. Totum enim studium eo dicit spectare, ut quam plurimas aliquis rerum notiones adipiscatur, et ea, quæ perceperit, optime sciat proferre : ad quod obtinendum ante omnia esse necesse, ut excutiatur scholastica scientia. Quod et graviter vindicat Agricola : « Fac, inquit, suspectum tibi quicquid hactenus didicisti, damnes omnia atque abjicienda putes, nisi meliorum auctorum testimonio et velut decreto rursus in eorum mittaris possessionem². »

His de philosophia et studiorum generibus enodatis, alter explicandus erat locus, quo pacto aliquis, quicquid elegerit, plurimum in studiis fructus consequatur. Cui rei tria videntur necessaria esse, quæ sunt : plane recteque discenda percipere, percepta fideliter retinere, aliquid ex eis proferre posse : quorum primum opus esse diligentis lectionis, alterum fidæ memoriæ, tertium assiduæ exercitationis.

Maximum vero tertium est : ad quod omnes studio-

¹ Epist. 295, ad Henricum Afinium (Op. om. Lugd. Bat. ed., tom. III, p. 289).

² P. 196.

rum labores confluent, quo etiam judicari potest, an bene justeque aliquis studuerit. Recte enim animadvertit Agricola, si nihil ad posteros mandare, nihil aliud, atque ea, quæ didicerimus, ad præsentem possimus proferre, nihil interesse inter libros et nos. Quapropter monstrare conatur, quomodo quis a lectione paulatim ad inventionem pervenire, a discente docens fieri possit. Ac primum quidem hortatur, ut certa quædam habeat capita, ad quæ omnia, quæ didicerit, referat, indicem quemdam rerum, quo omnia ex libris collata semper præsentia atque ante oculos obversata maneant: deinde ad liberio-rem solutioremque progrediatur imitationem, ita fere, ut sententiam aliquam, ab antiquis petitam, latiore tractu explicet. Multum eum jam effecisse dicit, quum poterit unam rem per omnes locos diffundere: quo ingens præbeatur ad inveniendum copia. Adjicit se quæstionem eam, majorem quam ut epistola contineatur, suis libris *de Inventione dialectica* copiose tractavisse.

Cuncta igitur doctrinarum disciplina a veteribus pendet, ita tamen, ut illi non solum ad res discendas, sed ad humanioris cultus elegantiorisque vitæ institutionem evolvantur, eorumque exemplo non eruditiores modo, verum etiam politiores atque omnino præstantiores redamur, idque animo quasi insculptum habeamus, inane esse doctrinam, qua non paratiores fiamus ad virtutem. Ideo partem eam, qua mores tractantur (quam studio philosophiæ Agricola præmittit), non ab eis modo scriptoribus, qui eam tradidere, expetendam putat, sed

ab historicis quoque et poetis et oratoribus, qui, et bene facta laudando, et male facta vituperando, non doceant quidem, sed exemplis propositis, quæ recte secusve fiant, velut in speculo ostendant.

Denique etiam atque etiam contendit Agricola, acendum esse iudicium, ut non solum bene dicentes, sed recte cogitantes fiamus : exercendum ingenium, ut antiquos prius magistros et præceptores, demum amicos et adjuutores habeamus. Qua de re verius atque alius sentiebat plerisque illius ætatis hominibus, atque ipso quidem Erasmo, qui etsi verborum scientiam tum modo profuturam censebat, per quam duceremur ad rerum notitiam, tamen majorem vim videtur tribuisse exultæ orationi et exteriori elegantiae. Agricola autem id maxime intendebat, ut proprium cujusque ingenium in studiis adolesceret, propriæ virtutes increscerent. Quem ad finem præstantes antiquorum temporum scriptores quasi comites nobis ac socios adjungendos putabat, quorum exemplo atque auctoritate, excussa scholastica consuetudine, ipsi denique aliquid elaborare possemus : nam cuncta ejus doctrina ad inventionem spectabat. Atque eo modo Agricola vel maxime effecit, ut via muniretur liberiori cuidam artium disciplinæ, quæ proximo quidem tempore proditura erat.

CAPUT VI

De Agricolaë vita, a tempore, quo ex Italia reversus est, usque ad mortem.

Mirum videri potest, qui de studiorum conditione puerilique institutione tantam adhiberet diligentiam, eum non ultro pueris sese edocendis obtulisse. Quod ne fieret, mos atque indoles ejus impedimento erant, quum statuisset, repudiata omni angusta et incommoda conditione, toto animo doctrinis vivere. Eo accedebat, quod innata quædam animi mobilitas non longius eum eodem loco eadem in re commorari patiebatur. Neque inutiles erant tali modo informati viri, illo quidem tempore, quo difficile erat inter homines commercium : qui nulla in urbe consistentes, latiore ambitu ante oculos habebant, et quasi ampliori se in provincia exercebant.

Itidem a rebus publicis se removit Agricola. Quum igitur, ex Italia reversus, pro urbe sua Groninge, ad aulam Maximiliani, Romanorum regis, Bruxellæ se tenentis, negotium quoddam tractandum suscepisset, ac potentes amici, sive ex veteri consuetudine, seu propter recentiore admirationem, nihil non, ut ipse

ait, promittentes, eum illi conarentur inserere societati, et in amplissimo statu se collocaturos eum dictarent, tamen his rejectis honoribus, impetrato eo, quod pro civibus suis petierat, dimidium post annum in patriam rediit. Qua de re sententiam suam ad Joannem fratrem sic aperiebat : « Nosti *apraxian*, hoc est (quomodo- cumque latine dicere possum) lentitudinem meam, vel amorem quietis, et difficile esse mihi, qui totam ætatem in studiis consumpsi, illa nunc relinquere, quum jam confugiendum mihi ad ea esset. Itaque malui adhuc retinere quietem meam, et in libertate hac permanere¹. »

Quamquam ad omne negotiorum genus se minus idoneum putabat, tamen quodcumque elaborabant et prosequabantur ei, qui in re scholastica versabantur, id pro viribus adjuvabat : atque in amicitia perseverabat eorum, quos a primis ætatis annis studiorum usu sibi conjunxerat : qui plerique postea litterarum ludos, vel veteres renovandos, vel novos instituendos, susceperant. Eis Agricola se adiutorem ac ministrum offerebat : libros, alumnos mittebat : auctor et impulsor erat : suadebat, monebat, docebat. Quasque ita scribebat epistolas, ad Liberum, ad Langium, ad Hegium, ad Barbarianum, ad Reuchlinum, inter omnia ejus opera, maximam adhuc utilitatem ac delectationem habent. Id quidem epistolarum genus tunc et maxime placebat, et ad colendas doctrinas multum valebat : neque alia erat via, qua laborum studiorumque socii, quicquid vel profe-

¹ Lucubrationes, p. 184.

cisse putarent, vel in posterum molirentur, inter se communicarent. Qua ratione invicem sese et æmulatione incendebant, et ad majores spes excitabant. Ita ad Hegium scribit Agricola : « Non facile dixerim, quantum mihi voluptatis litteræ tuæ attulerunt, quum quod tuæ, tum quod intelligo, quotidie politioem te limatioremque fieri, et summam in spem adducor, aut tuo ductu, tuis monitis et institutione, aut nullius præterea viribus, cultiores litteras in Germania perventuras, et arcem aliquando occupaturas¹. »

Tum etiam eo epistolarum commercio doctissimo cuique occasio data erat doctrinæ proferendæ : nam multi erant, qui, si non majora et diuturni laboris opera, certe leviora illa opuscula in lucem proferre possent. Ita Agricola, Antonium Liberum adhortans, ne scribendi exercitationem, id est eloquentiæ fontem, negligat, hæc adjicit, qua de causa gratæ sibi sint ejus epistolæ : « Libet tenere eas, et quam longissime iterum iterumque perlegere : libet verba omnia pensare, perspicere sensus, rerum vim intueri, et quicquid est ingenii tibi atque eruditionis, omni ex parte quam pressissime considerare². » Quo apparet, id genus epistolas nihil aliud fuisse, nisi doctas quasdam orationes, eo consilio magis conscriptas, ut Ciceronis vel Plinii adæquarentur exempla, quam ut familiares absenti cum amico sermones commutarentur.

¹ Lucubrationes, p. 185.

² Lucubr., p. 175.

Quum autem tam levibus negotiis Agricola non satis astrictus esset animo, in desiderium aliquando incidebat, ut sibi liceret, munus quoddam suscipere, nec studia sua, quibus maxime indulgebat, amittere. Itaque a Barbiriano, Antverpiæ urbis nomine, ad ludum litterarium omni parte instituendum vocatus¹, vehementer statim amplexus est inopinatam spem in perpetua amici consuetudine vivendi. At mox innata voluntas animique cupiditas eum arripuit, ut oblata recusans, inter alia hæc responderet : « Datur schola, res acerba, difficilis, morosa, aspectu ipso accessuque tristis, et dura, ut quæ flagris, lacrymis, ejulatu, perpetuam carceris faciem præ se ferat. Quod si cui alii rei, huic vel maxime nomen a contraria verbi interpretatione potest inditum videri... Ubi tempus impariendum studiis? ubi otium, ubi quies ad aliquid inveniendum, vel excudendum necessaria²? » Adhortatur igitur cives, ut ludo præficiant prudentem magistrum, qui docere sciat, et eruditus sit, nec theologum quemdam, vel physicum, qui quum splendidos titulos et grandia nomina proferant, et de quaque re se dicere posse confidant, tamen omnis scientiæ expertes sint, et id ipsum, dicere quid sit, ignorent.

Illa vero a Barbiriano oblata conditio, inter alias recusandi causas, ideo quoque minus grata videbatur, quod eodem tempore aliud, ad mores Agricolæ magis accommo-

¹ Anno 1482.

² Lucubrationes, p. 208.

datum, proponebatur. Etenim Dalburgius, quem Ferrariæ sibi conjunxerat, qui postea Cancellarius Comitis Palatini Philippi Ingenui, et paulo post princeps Episcopus Vomatiensis factus erat, tunc, et Comitis jussu et sua sponte, Heidelbergensem academiã doctis hominibus instruere cupiens, Agricola in primis respexit : quem non tantum ad docendas artes, sed potius ad propriæ domus gloriam destinabat, sciens nimirum qualis esset, et quantum ab omni opere servili abhorreret. Itaque Theoderico Plinio, qui et ipse in consilio erat Palatini Comitis, mandavit, ut Agricola per litteras invitaret, talesque ferret conditiones, quas ille recusare non posset. Quæ res omnis, ut gesta est, ex ipsius Agricolæ ad Barbirianum epistola perlegenda est : clarum sane exemplum amicitiae a solo litterarum fonte repetitæ ! « Is (Plinius) scribebat, inquit, Dalburgium orare a me, summoque studio contendere, ut ad se venirem, quam primum id facere possem. Acturum se mecum ea fide, ea benevolentia, quam jampridem in eo cognovissem et experimento compertam haberem. Munificentia vero tanto propensiore futurum, quanto paratior ejus nunc sibi facultas esset, quam antea fuisset. Curaturum se, et omni enixurum opera, ut intelligerem non sibi magis ipsum honore rebusque auctum esse, quam mihi, divisurumque cuncta mecum et (quæ lex amicitiae apud veteres sancita est) omnia nos communia habituros.

Addebat ad haec Theodericus preces suas, monere, rogare, exposcere, ut venirem, juncturos nos rursus vetus contubernium, nam et ipse domi domini Cancellarii degit. Repetituros pristina studia : omnem intermissam consuetudinem alacritatemque lætioris vitæ revocaturos. Abrumperem modo quicquid morari me posset, et venirem, daremque hoc vel amicitiae nostræ, si minus utilitate rerum, vel utilitati, si minus amicitia per moverer. »

Jam dubitans, quid faciendum sit, viae se committit, et longum iter ingreditur, ut, si nihil aliud consequatur, tamen salutare possit amicissimum hominem, et novam ei gratulari fortunam. Venit Heidelbergam : summo honore ac dignitate excipitur, a Dalburgio, a doctis omnibus, a Comite, viro, ut ait, omni principis privati que hominis laude consummatissimo. Omnia iterum Cancellarius pollicetur, quae Plinius ejus nomine scripserat : novisse se amici animum, ut cupidus sit libertatis : victurum eum prorsus ipsius more atque arbitrio, æque ac si esset in propria domu : nihil se injuncturum oneris, nisi quo studia sua adjuvarentur ab eo, quantum id fieri posset : in reliquis faceret, ut videretur aptissimum, iret, rediret, eo gratiorem se praeberet, quo magis verteret omnia ad voluntatem. Tam liberali se confidens amicitiae, Agricola pollicitus est, proximo anno, quum ver iniret et aptius faciendo itineri tempus esset, rebus suis in patria compositis, Heidelbergam se rediturum. Atque eo quidem itinere, per interjectam hiemem, opus

de Inventione dialectica componebat, quod rogante Plinio susceperat.

Venit Heidelbergam postridie Calendas Maji, anno 1483, et continuo occasio facta est in doctrina progrediendi. Incidit in Judæum hominem, qui, quum solitus esset contra christianos in disputationem publicam de fide procedere, ipse paucis ante annis ad christianam fidem transierat. Hunc sibi præceptorem adjunxit : quem Dalburgius ad id munus domi suæ alendum suscepit. Ita proximum tempus et ipsam senectutem Agricola statuit in sacrarum litterarum perquisitione collocare¹ : nam pro more suo, rerum cognitionem verbis ac formulis potiolem habens, non illud solum cupiebat, ut Hebraica lingua eruditus fieret, sed præsertim ut res novas colligeret, et theologiam doctrinam ex fonte hauriret. Interea, non intermisso epistolarum commercio, subsecivis horis in Dalburgii Pliniique societate consumptis, publice eloquentiam ac philosophiam docebat, tum Heidelbergæ, tum Vornatiæ, discipulis et multis et eruditis : neque tamen scholasticum morem depellere poterat, ut ipse scribit ad Hegium : « Est auditorium mihi, ut hoc loco, satis frequens, sed tamen sunt ejusmodi fere, qui propensius cupiant hæc studia, quam commodius possint : maxima pars magistri sunt, aut scholastici (ut nos dicimus) artium, quibus necesse est omne tempus illis suis cavillationibus impendere : angustissimum et velut subsecivum diei fragmentum quoddam in hæc stu-

¹ Conf. epist. ad Reuchlinum, in Lucubrat., p. 180 : ad Hegium, p. 185.

dia patet illis, quo fit, ut ipsi minus possint, et ego segnius coner¹. »

Age vero, qui liberrimus et omnino sui juris esset, nonne mirandum est, eum non felicem se dixisse? Nihil quidem querebatur in epistolis, quas de studiis suis ad amicos mittebat: quibus non tam familiariter utebatur, ut effunderet omnia, quæ sentiebat, et totum se eis patefaceret. Sed ad Joannem fratrem talia scribebat, quibus certum habeamus, commodissimam illam conditionem non quietum eum reddidisse. « Facio, inquebat, meo arbitrio, sed nescio quo pacto hic tam invitus et prorsus contra animum meum sum, ut non videar mihi tota vita ullo loco fuisse, cum quo minus mihi conveniret, aut in quo aegrius degerem, quam hic sum. Difficile est mihi servitatem discere jam increcente ætate, et quamvis servitus nulla a me exigitur, tamen nescio an eo gravius onus incumbat mihi, quod necesse habeo, quam alius mihi remittat, eam mihi ipsi imperare, et ipsa me libertas in graviores servitutes adducit. Deinde semper quasi Horatii illud per os mihi redit: Patriæ quis exul, se quoque fugit². »

Talia fortasse ex animo nimium molli ac tenero profluebant, cui vel umbra et species servitutis contraria erat. Uni enim viro erat obnoxius, qui magni aestimabat eum, liberaliter tractabat, præcipue colebat, ipse sibi præsentiam ejus honori ducebat: adeo non deside-

¹ Lucubrationes, p. 185 .

² Lucubrat., p. 215.

randā est vita omnino libera ac soluta, quum animus, omni cura expers, ipse sibi molestus sit. Alia erat molestia, neque haec opinata tantum, qua tunc Agricola premebatur : aliis locis mente haerebat, illis videlicet, quæ Musarum gloria maxime florebat. Italiam desiderabat, Italiæ et memoria et imago infixā erat animo : quare invitus degebat in asperioribus terris, in quibus dubius denique et languidus dies noctem barbariæ diffundere incipiebat. Quin et ipse se ad barbariem reversum esse existimabat : nam antea ex Groninge scripserat ad Hegium : « Difficile est, ut explicem tibi, quam mihi omnia mea, et ipse ante omnia displiceam. Perit mihi quotidie studiorum, nescio amor an usus dicam, certe usus, et ob id fortasse paulatim et amor. Sentio, quam magnum damnum fecerim litterarum, posteaquam ex Italia decessi, si tamen eæ sunt litteræ meæ, in quas magnum possit damnum cadere. Jam labi memoria auctorum, jam historiæ excidere, jam verborum proprietās, copia, decor defluere incipiunt. Si quid soluta oratione tento scribere, difficulter sententias, et eas pigras inertesque, et quæ tantum impleant locum, suppedito. Oratio ipsa horrida, disjecta, incomposita, qualis fortasse semper, sed nunc tamen solito magis, talisque, quæ rem, quam dicere cupio, designet potius quam explicet. Versum rarissime quidem, sed si tamen facio, non pedes in ordinem, non sonus carminis, non spiritus respondet, et utcumque provenere, non qualia probem, sed qualia possum effundo, aut exprimo

(verius dixerim), et reluctanti pectore evello. ¹ Quod falso tamen sibi videbatur ea, quæ didicerat, dedidicisse, hæc ipsa ad Hegium epistola testimonio est, quæ est inter elegantissimas. Sed concedendum est, duos vel tres amicos, quorum in consuetudine vivebat Heidelbergæ, quamvis gratissimos, non potuisse tamen in studiis tantum ei afferre adjumenti, quam doctorum numerus, quos olim Ferrariæ iudices simul atque hortatores habuerat.

Interea evenit, ut Italiam iterum ei visere liceret, quum Dalburgius, circa æstivum tempus anni 1485, Romam profectus est, Innocentio VIII. de Pontificia dignitate, Comitis Palatini nomine, gratulaturus. Quem Agricola peregrinantem secutus est: Plinius quoque comitem se adjunxit. Invenerunt in transitu multa diruta, olim florentissima. Ac præsertim Ferraria vastata erat bello, quam jucundissimam sibi sedem quodam tempore delegerant: quam nunc ocuis præterierunt. Ager desertus: villæ, horti, ambulacra deleta. Ipsa in urbe Ferraria plus quam quindecim millia hominum ferro, fame, pestilentia, perierant: quod ex epistola cognoscimus, quam Agricola ad Joannem fratrem ex Roma misit ². Romæ parum remanserunt: quam quidem orationem Dalburgius, summo Pontifice præsentem, dixit, ea Agricolæ adscribitur ³. Quum autem Heidelbergam revenissent, brevi interjecto tempore, obiit Agricola, die

¹ Lucubrationes, p. 187.

² In Lucubrationibus, p. 219.

³ Quod an jure factum sit, dubitat Häusser (*Die Anfänge der classischen Studien in Heidelberg*. 1844).

vicesimo octavo mensis Octobris, anno 1485, quadragésimo secundo ætatis anno vix absoluto. De laudibus ejus supremis orationem habuit Reuchlinus, qui, mortuo patrono, Eberardo Virtembergensé, apud Dalburgium se receperat. Neque memoriam ejus Dalburgius solum ac Celtes, sed etiam Venetus orator Hermolaus Barbarus consecravit, epitaphiis et carminibus : et bonam sui famam reliquit apud doctissimos viros : inter quos Erasmus multis eum locis laudat et commentatur ¹.

Dum autem vivebat, illustrabatur magis ipsius doctrina et prudentia, quam scriptorum excellentia, quorum si parva aliqua excipias, nulla ab eo in lucem emissa sunt. Unius tantum editionis in epistolis ejus fit mentio, quæ est carminis de *Anna matre* : quod se dedisse, et qua de causa, Antonio Libero sic nuntiat : « Quid facerem enim? Nolui deesse mihi ipse, et vel concessam omnibus, vel correptam jam vindicatamque libertatem quidvis audendi non placuit amittere. Recte necne, illi viderint, quorum periculo ista facio. Quum nemo meae turbae non scribat aliquid, et nomen cupiant proferre omnes : si laudandum est, amplector communem conditionem : si vitio dandum, erit mihi justior venia vel hinc, quod sequor exemplum, non probo. » ² Libros de Inventione dialectica ab initio ad

¹ In Ciceroniano (in Erasmi operibus Lugd. Bat. editis, tom. I. p. 1014., Ecclesiaste sive concionatore euangelico (op. t. V. p. 920), Epistolis (op. t. III. p. 213, 1070, 1533, 1798), aliis locis. — Cf. p. 63, 64.

² Lucubrationes, p. 176. — Epistola scripta esse videtur anno 1483.

Plinium tradiderat, cum simili hac declaratione : « Ego istos, manu mea emissos, tuo posthac permitto arbitrio. Ego omnem pro eis sollicitudinem depono : tu, si voles, emittes. »

Eo modo factum est, ut multos codices ac libellos relinqueret : quorum plurimi in manus venerunt Adolphi Oconis Frisii, Augustae Vendelicorum medicinam profitentis. Quo mortuo, dispersi sunt, et pluribus locis singillatim editi, donec Alardus Aemstelredamus, anno quinquagesimo quarto post mortuum Agricolam, magnis conatibus, integram omnium, quae colligere potuerat, editionem in lucem deprompsit : ¹ quo tempore adeo jam florebant doctrinae, ut pleraque illa multo minorem efficerent admirationem, quam antea effecissent.

¹ Quam descriptam habes in *Appendice*.

CAPUT VII

Libri de Inventione dialectica.

Inter omnia, quæ Alardus edidit, libri tres *de Inventione dialectica* maxime sunt notandi. Qui jam antea multum lectitabantur, quamquam non summam eis manum Agricola imponere potuerat : nam, ut supra diximus, adductus erat a Theoderico Plinio, quum primum Heidelbergae degeret, ut materiam illam, quam jamdiu versabat animo, fusius tractaret : quod partim in itinere, partim in patria sua, antequam rursus proficisceretur, effecit, ita ut res exciderent ei magis, quam excuderentur. ¹ Hos libros nihilominus inter omnia sua præcellere putabat : quare semper emendabat eos et perpoliebat : eosque, quamvis morte interceptus, eo adduxit, ut ab Erasmo, Ramo, aliis doctissimis viris comprobarentur.

Qui libri de Inventione, si cum ceteris Agricolæ scriptis comparentur, una quadam rerum cohærentia cum illa ad Barbirianum epistola, de qua supra dicebamus, colligati videbuntur. In altero enim opere osten-

¹ Ut ipse ait Agricola, Theoderico Plinio libros de Inv. dial. mittens. (Op. I. initio.)

ditur, quomodo ex antiquis scriptoribus erudiendus sit animus atque expoliendus : in altero, qua ratione sic excultus animus ipse aliquid novi excogitare possit : ut cunctam litterarum doctrinam per duas partes ex ordine descriptam habeamus. Ceterum, postquam in epistola ad Barbirianum Agricola de universa doctrinarum institutione disceptaverat, jam tractanda erat hæc propria quæstio, quomodo illa antiquitatis studia ad philosophiam, quæ nobilissima quædam putabatur disciplina, adhibenda essent : quod libris tribus de Inventione effectum est.

Verum hoc loco paulo altius res repetendæ sunt. Novæ illius philosophiæ, quæ veterum nitebatur auctoritate, initium fecerant nonnulli, qui aut Aristotelem ex ipsius scriptis restituere, aut vulgato philosophandi generi Platonem apponere conati erant. Aristotelis quidem in Germania restitutor fuerat Vesselus, qui aliquos per annos Heidelbergæ docuerat, et in Italia Parisiisque, tum audiens, tum docens, erat commoratus : Platonis vero maxime Reuchlinus. Sed Aristoteli et Platoni anteponebantur, in legendi usu, populares aliqui et ad commune iudicium magis accommodati scriptores, et oratores et historiarum auctores philosophia quadam imbuti : qui omnes, nullius disciplinæ legibus astricti, præcepta sua undecumque colligentes, eo majorem sententiarum copiam afferebant. Inde id felicissimum quidem evenit, ut litterarum studiosi, priusquam certam aliquam perpetuis præceptis ordinatam philoso-

phiam componerent, ab exiguis proficiscentes initiis, ad meliorem disserendi rationem assuescerent. Tum etiam adducebantur ut, antiquorum exemplo, vitam hominum rerumque naturam magis observarent, atque talia præcipue assequerentur, quæ in commune prodescent et speciem quamdam præberent utilitatis. Inde factum est, ut singulæ disciplinæ, vel de moribus, vel de argumentandi rationibus, præter ceteras colerentur. Hujusmodi erant Agricolaë libri de Inventione, et moralia Erasmi. Qui scriptores aliique eodem in genere se exercentes, quum neque certe institutam sequerentur rationem, neque aliud quidquam, nisi communem utilitatem, spectarent, nullius jurabant in verba, sed, ut Ciceroni erat solitum, ex omnibus disciplinis, suo ipsorum judicio, quantum quoque modo videbatur, libabant, propria etiam ac nova non aspernantes, et familiari sermone utentes, quo facilius ab indoctis intelligerentur. Ac plurima quidem e Latinis Græcisque scriptoribus, sed nonnulla tamen e christiana doctrina hauriebant: ut non solum antiquam ætatem, sed medium quoque illud interjectum ævum quasi in potestate haberent, atque ex arbitrio sibi vindicare possent.

Neque enim ii, de quibus dicimus, scriptores mediæ ævi philosophiam ac theologiam impugnabant, sed ineptas illas scholasticorum captiones, quæ miseræ supererant priorum temporum reliquiæ. Neque graviore viri, quales fuerant Anselmus, Hugo a Sancto Victore, Bonaventura, qui et ipsi contra sophistas declamave-

rant, uno cum cavillatoribus poterant iudicio involvi. Quin idem iste disputandi usus, cui optima quæque jam cesserant studia, magno aliquando doctrinis adjumento fuerat. Quum enim libri, nisi manu descripti, non exstarent, neque hi multorum tererentur manibus, nulla alia via, quod quisque sentiebat vel proponebat, cum contrariis comparari, ac rectumne esset an falsum, perpendi poterat, nisi disputando. Sed mox disputantes id solum spectare cœperunt, ut audientium oculos ad se converterent, et metuendi viderentur adversariis quibuscumque: nulla enim jucundior putabatur gloria. Quod maxime apparet celeberrimis illis, quæ Parisiis instituebantur, disputationibus: quarum quum fama per multos advenas longe lateque diffusa esset, Germani quoque, ut parem sibi laudem quærerent, adducti sunt. Sic omnia paulatim philosophandi præcepta ad disputandum conversa: omne studium obsolevit, nisi per quod vincere discebant: quo exercendus erat animus et captanda veritas, id lusus factum, et spectaculum, ut si quis contrarias res probabiliter exponere, aut per dies continuos de nihilo disputare posset, is plurimum se effecisse putaret.

Eo modo cognitionis amorem magis magisque cecidisse, facile intelligitur, quum dicendo, respondendo, opponendo, refellendo, res difficultatibus impedirentur, neque unquam adducerentur ad exitum. Deinde, quod argumenta sua quisque ex omnibus partibus quærebat, atque eo doctior videbatur, quo latiore quasi in campo

exultans, res diversissimas confuse et permixte afferebat, singulæ doctrinæ extra fines suos trahebantur, atque omnes simul labeantur: namque omnis doctrina, quo minus finibus continetur, eo inopior est. Quod conquerens Agricola dicit: « Cuncta studia, velut feræ caveis effractis, in proximatorum jus et fines irruerunt, nec quicquid ferme discitur hoc tempore suo loco. Sic jurisconsulti perplexa et involuta disputandi præcepta halbutiunt. Sic medicinæ studia magna ex parte redacta sunt ad supervacuas instituto suo physices quæstiones. Sic physice mathematicas arripuit... De theologia vero quid dicere oportet? cui si metaphysicen, si physicen, si dialecticen hodie demas, nudam porro et destitutam, et quæ nomen suum tueri nequeat, reddas. Ergo, quum docendus erit populus, et ad religionem, justitiam, continentiam adhortandus, ex illis artibus inextricabilis aliqua eruitur disputatio, quæ tempus extrahat, et inani strepitu audientium feriat aures. Docent itaque, quemadmodum pueri solent in ænigmate proponere, quæ ne tum quidem quum docuerint, vel ipsimet, qui docent, vel illi, qui didicerunt, sciant¹. »

Quare id maxime docere intendit Agricola, unamquamque doctrinam certis finibus esse continendam. Ac dialecticen quidem id proprium habere censet, quod non sit illarum artium, quas principes vocat, quæ sunt ipsarum causa discendæ, sed potius aliarum addicta sit

¹ De Inv. dial. Lib II. Cap. I.

usui ac ministerio ¹. Eo accuratius eam describendam putat : hac enim neglecta vel corrupta, ceteras omnes prodesse non posse. Atque finit eam ex ipsa orationis natura, sic ratiocinans : tria esse in omni oratione, eum qui orationem habet, eum qui audit, rem de qua habetur oratio : tria proinde in dicendo esse observanda, ut percipi possit qui dicit, ut cupide audiat cui dicitur, ut probabile sit quod dicitur : primum doceri grammaticæ, quæ emendate et aperte loquendi viam tradat, alterum rhetoricæ, quæ ornatum orationis et capiendarum aurium illecebras inveniat : reliquum, ut probabilis fiat res, de qua habetur oratio, pertinere ad dialecticam ².

Hæ quidem tres disciplinæ ita rerum affinitate sunt conjunctæ, ut alia aliam adjuvet. Quarum initium oritur a grammaticæ, quoniam ad omnem orationem necessaria est verborum notitia, quibus constat oratio. Hanc excipit dialecticæ, quoniam quævis oratio ante omnia id spectat, ut ostendatur aliquid audienti, vel doceatur, vel probabile fiat. At illicere quidem animos, quod est rhetoricæ, minorem esse rem dicit Agricola, accessionem orationis, potius quam proprium opus : rhetoricam igitur pendere a dialecticæ, docere enim posse orationem sine delectando, delectare, sine docendo, non posse ³. Ita grammaticæ, dialecticæ, rhetoricæ, orationis ars omnes in partes expletur.

¹ Cf. *P. Rami* Scholarum dialecticarum Lib. II. Cap. I.

² De Inv. dial. Lib. II. Cap. II.

³ Lib. I. Cap. I.

Sed, neglectis ceteris, dialectices habenda est ratio. Quæ finitur ab Agricola ars probabiliter de qualibet re proposita disserendi. Id effici dicit locis, quorum auxilio animus, per unamquamque rem quasi circumlatus, quid sit in ea probabile et aptum orationi, perspiciat. Inde argumenta ducuntur : atque ea quidem pars, qua omnis locorum ratio et varia ex locis argumentandi genera continentur, inventio est. Verum ne quis argumentando res dissidentes conjungat, neve rei cujusquam proprietates vel latius vel angustius describat, adhibetur inventioni judicandi pars, qua æstimatio fit argumentorum, verane sint an falsa, et syllogismorum figuræ explicantur, et captiosarum argumentationum cautio traditur : ut altera pars argumentandi, altera det redarguendi regulas ¹.

Ergo, ut cunctam hanc Agricolæ explicationem breviter repetamus, orationis ars omnis describitur in tres disciplinas, grammaticen, dialecticen, rhetoricen : dialectices duæ sunt partes, inventio et judicatio. Eam autem, de qua nunc agitur, partem rhetores vindicare sibi solebant, et adhuc solent : quod Agricola dicit ab antiquissimis rhetorices præceptoribus profectum esse, antea quam dialectice in artis formam esset coacta : quum enim tales plerumque in forum quæstiones venirent, de quibus nihil perpetuum præcipi posset, tradendam fuisse communem quamdam inveniendi rationem, quæ omnibus conveniret quæstionibus : atqui, si

¹ Lib. I. Cap. II. — L. H. C. I.

dialectice id munus suscipiat, inveniendi quæ de qualibet re probabiliter dicantur, inventaque dijudicandi, nihil utique esse, cur nova ulla de inventione mentio fiat in rhetorice : hujus ergo doctrinam contineri perspicuitate, compositione, cultu orationis¹. Quod si tali modo nimium anguste videtur rhetorice coerceri, hoc Agricolaë tamen eo defendi potest, quod dialecticem præmittebat, artem videlicet ejusdem generis, et quasi alteram rhetoricen, ipsam quoque suo modo spectantem ad formandam orationem. Eadem præterea fuisse sententiã eos, qui proximo insequente tempore de rhetorice scripserunt, Rami ostenditur exemplo, qui rhetoris præcepta in actionem et elocutionem concludebat. Ipsa demum dialectice, quamvis et Rami et Agricolaë et aliorum opera emendata, novæ doctrinarum institutioni locum dedit, qua philosophia redacta est ad interiorem cogitationem, eo fine, ut vera investigaret, nec tantum probabiliter diceret : quæ res hujusmodi erat, ut rhetorice, minore affinitate conjuncta, et separatim tractanda, omnibus suis partibus integra redderetur. Sed prioribus illis temporibus, quum culta quædam loquacitas pro eloquentia haberetur, id maximi erat momenti, ut rhetores per dialecticem diligentius res ac subtilius exquirere assuescerent.

Id enim Agricola summum esse dialecticæ artis, et præ ceteris omnibus agendum putat, ut qui disserat unamquamque rem a diversis partibus inspiciat, ac

¹ Lib. II. Cap. XXV.

penitus perscrutetur. Propter id loci uberius ac fusius ab eo explicantur¹: qua de parte nescio an ullus vel dialectices vel rhetorices auctor accuratius dixerit, quam Agricola. Ab illa locorum descriptione cuncta ducitur disserendi ratio: ac primum ostenditur, quoniam omnis dissertatio quæstionem aliquam, vel dubitabilem propositionem, subjectam habet, quomodo hæc formanda sit, vel ex una, si opus est, in plures diducenda: deinde, quomodo argumenta ad solvendam quæstionem ex locis colligenda sint²: denique, quæ optima sit argumentorum dispositio, quum et ordo orationis percipiendis confirmandisque rebus plurimum præbeat adjumenti.

Varia autem disserendi genera repetuntur a diversis audientium animis, quum vel credenti fidem firmemus, vel repugnantem adducamus ad credendum: unde expositio et argumentatio. Ad amplificationem, vehementem quamdam argumentationem, etiam affectus referuntur: quos Agricola ad dialecticem, non ad rhetoricem pertinere dicit, quum ea, quibus concitentur, ex iisdem ducantur locis, ex quibus ea sunt, quibus utimur ad docendum. Sic ad docendi officium etiam movendi facultas accedit, ut is, qui disserit, sive perpetua, sive concisa oratione utatur, explorandis locis omnia teneat ad persuasionem apta. Quod si denique ornato sermone velit cum animis simul auribus inservire, ad rhetoris

¹ Lib. I. De locis.

² Lib. II. De locorum usu.

præcepta se conferens, eloquentiæ quoque pretium arripere poterit¹.

Talia fere sunt, quæ de inveniendis disponendisque argumentis præcipiuntur ab Agricola. Quibus autem viribus atque armis præcipue instruendum putet eum, qui prudenter disserere velit, id ad finem hujus operis demonstrat, quo loco de usu et exercitatione commentatur. Docet igitur, expendendos esse antiquorum libros, non ad id solum, ut noscamus omne loquendi genus, verum etiam ut nostram orationem ad illorum exempla effingamus. Cujus veterum consuetudinis initia explicat et singulos progressus: legendos eos esse primum sententiarum, rationum, verborum causa, et quasi doctrinarum fontes rerumque thesauros esse adhibendos: tum tractatas ab eis quæstiones nobis ipsis tractandas esse: mox ordinem mutandum, novi aliquid adjiciendum, longiora breviter, breviora longe dicenda, scilicet exercitationis gratia, non quia meliora putemus nostra, sed ut hoc pacto, sicut pueri solent, proximis quibusdam apprehensis, gradum ponere discamus. Liberior jam est quod insequitur, mutuam aliquam argumentationem ad similem quæstionem transferre, vel eis, quæ dicta sunt ab aliis, contradicere, contrariasque tueri partes. Impleta denique erit omnis disserendi doctrina, quum ipsi, quod videbitur, invenire, inventaque componere poterimus: ad quod maximum erit adjumentum, ut locos omnes penitus infixos animo ha-

¹ Lib. III.

beamus. Tali modo nos consecuturos ait Agricola, ut expedite, copiose, subito, de omni ré proposita dicere possimus: difficile id quidem, inquit, et arduum, non tamen tale, ut fieri nequeat: ingentem enim, immensam, incredibilem esse vim mentis humanæ, cui nihil propemodum difficile sit, nisi id, quod non bene velit. Ita in fine hæc duo ponuntur, ex quibus, quæ ætatis illius judicandi ratio voluntasque fuerit, intelligamus: nihil artes, nisi antiquis magistris, profecturas, et nullam rem acerrimo studio non posse obtineri.

Hæc nova sua disserendi ratione id præcipue agebat Agricola, ut illis succurreret artium præceptoribus, qui scholas in melius instituere conarentur. Qua de causa negabat a prioribus huic satisfactum fuisse disciplinæ, quum ne veteres quidem ita plane omnia ac dilucide explicuissent, ut etiam a minus peritis commode legerentur. Inter eos maximum tunc nomen habebat Aristoteles, de quo dicit: « Hic propemodum solus omnium priscae ætatis philosophorum permansit in manibus: hunc primum pueri discunt, huic ultimum senum studium immoritur: hunc artes omnes, omnia studiorum genera terunt, trahunt, discerpunt¹. » Quem Agricola et nihil effecisse, et nihil efficiendum reliquisse, pariter utrumque negat: eum summum quidem hominem, sed hominem tamen fuisse: plurima eum recte, sed et alios alia dixisse non male. Eum præterea censet locorum materiam angustius conclusisse, et (ut alia quædam

¹ Lib. I. Cap. III.

negligamus) res per se difficiles verborum obscuritate etiam difficiliores reddidisse¹. Ipse se illis, qui rudimentis modo doctrinarum, ac ne his quidem imbuti sint, præceptorem præbet : neque enim, nisi tali modo, adolescentium animi ad novum disciplinæ genus poterant adduci. Quare ab initio declarat : « Cupio explicare ista mææ turbæ, id est crassioribus atque harum rerum imperitis, quando doctis quidem supervacuus est præceptor. Vellem itaque me non dicere modo ista, sed vel pingere, si res id caperet, vel sculpere etiam posse, et tum quoque pulchre mecum agi putarem, si non sic etiam mihi soli ista viderer elaborasse, sed aliquibus profuturus labor meus, aliquorum esset studia juvaturus. Quæ mens utinam fuisset plerisque maximis et pari ingenio facundiaque viris : haberemus profecto in philosophia apertiora illustrioraque omnia². »

Id tamen eum non imperitis modo, verum etiam doctioribus gratum dixisse, eo apparet, quod proximo tempore libros illos de Inventionem multi lectitabant, vel etiam imitabantur : nam circa annum 1530, Parisiensis ordo theologorum objecisse traditur magistris artium, quod, neglecto Aristotele, sequerentur Agricola³. Hunc vero Parisiensis academix civibus primum proposuerat Joannes Sturmus, peripateticus

¹ Cf. *Rami* Schol. dial. Lib. II. Cap. X.

² Lib. I. Cap. III.

³ Confer *Bulæi* Historiam universitatis Parisiensis (Parisii 1673), tom. VI. p. 235. — Vide etiam *Crévier*, *Histoire de l'université de Paris* (Paris 1761), tom. V. p. 248.

quidem, sed non scholasticus, vir omni humanitatis genere perpolitus. Quem, inter annos 1529-1537 Parisiis docentem, audiebat Ramus, qui eandem deinde doctrinam confirmavit, et ipse disserendi exempla cogitandique rationes ab antiquis petiit¹. Sic Agricolæ præcepta, per Sturmium et Ramum, ad insequentem ætatem pervenerunt. Quod si his et Rami et Sturmii et Agricolæ conatibus ea, quæ in rerum contemplatione versatur, philosophia parum provehebatur, tamen id ipsum maximum erat et multa promittebat, quod studiosorum animi, gyris ac meandris disputationum tamdiu agitati, remittebantur tandem, et ad tranquillum constantemque laborem assuefiebant. Præterea sperandum erat fore, ut ei, optimorum ingeniorum consuetudine, se sua sponte ad rerum cogitationem converterent. Ita omni ratione via patebat illis scriptoribus, qui, brevi spatio interjecto, novam philosophiam paraturi erant. Sed ea quidem in Germania multo serius instituta est : cujus rei præcipua erat causa, quod aliis tunc studiis summa gentis ingenia detinebantur.

¹ Confer *P. Rami Scholas in liberales artes* (Basileae 1559) : in Præfatione. — *Waddington-Kastus*, *De Petri Rami vita, scriptis, philosophia* (Parisiis 1848), p. 126

CAPUT VIII

Agricola litterarum sacrarum studiosus.

Omnia, quæ adhuc usque exponebantur a nobis ejus generis erant, ut in Germaniâ nihil sane profectum fuisse videretur, nisi ex Italorum exemplo, illis fere solis auctoribus, qui ipsi se in Italia erudiendos curaverant. Sed fieri non poterat, quin ista Germanica barbaries, de qua dicit Agricola, illorum hominum mansuefacta ingenio, ipsa tandem ex se fertilis esset, et novi aliquid adderet litteris eis, quæ in servili aliorum imitatione consisterent. Quod idem paulatim omnibus locis consecutum est, in quibus tunc antiquorum studia vigeabant. Id enim eorum studiorum fuerat initium, ut pauci viri, longe plurimum ingenio et elegantiâ valentes, exquisitius, quam vulgus hominum, illas tractarent litteras, quibus et eloquentiæ et venustatis et honestatis fontem contineri censebant. Quum vero fere omnis juventutis soboles et permulti ætate proveciores in eodem versarentur opere, necessarium erat, ut talia potissimum

quærentur ab eis, quæ et late paterent et at plurimos pertinerent. Inde factum est, ut, quæ studia primum ex uniuscujusque hominis animo liberrime profluebant, eadem postea, ad universam quamdam delapsa utilitatem, in eam partem mutarentur, ad quam proprium cuiusque gentis ingenium inclinabat. Atque in Germania quidem ea, quæ solius exercitationis delectationisve causa discebantur, etsi non omnino propulsa, tamen gravioribus cesserunt rebus, quæ aut ad rectæ honestæque vitæ rationem, aut ad sacras opiniones pertinerent.

Ab eo tempore Germania sejuncta est ab Italia, quam primum secuta erat, atque aliena exempla repudiare coepit : ita ut ab iisdem initiis, pro gentium morumque distantia, diversissimæ res perficerentur. Itali enim in liberalissimis artibus, ab eis præstanter cultis, perseverabant : earum gyro quasi sepiebantur : per antiquos scriptores non tantum eruditi, verum etiam morati, ita versabantur in eis, ut res ad sacra pertinentes, de quibus tum temporis multum agebatur, omnino aspernarentur. At Germani, etsi in illis rebus, quæ pulchritudinis habent rationem, veterem non potuerint barbariem excutere, tamen mature animadverterunt, si ceteri doctrinarum testes omnes revocarentur, eos non negligendos esse libros, qui sermone quidem ad antiquitatem, sed rebus ad omnia tempora pertinerent. Et quoniam oportere putabant, ut fructui esset, quicquid disceretur, quomodo cultiorem quamdam humanitatem a

Latinis Græcisque scriptoribus repetiverant, ita sacrarum litterarum studia ad religionis cultum adhibere conati sunt. Quæ studia continuo, pro rerum gravitate, primum occupaverunt locum, ita ut tales viri, qualis Erasmus erat, in multorum offensionem occurrerent: is quidem Italus ingenio, potius quam Germanus.

Quoniam autem in consuetudinem jam venerat, unamquamque doctrinam ex suis fontibus hauriri, hanc rationem Reuchlinus ad theologiam conferens, Hebraicam linguam inter primos illustravit, et ad studia ejus animos instigavit. Qua in parte quod antea in Germania effectum erat, pro nihilo fere ducendum est: nam præter Judæos aliquos, qui ad christianam fidem transierant, paucis contigerat, ex illis, qui scholarum rebus consulerent, ut Hebraici sermonis notitiam aliquam haberent. Sed tantum effecit Reuchlinus, quantum ullo tempore ulla in doctrina, eaque plane jacente, ab uno homine effectum est. Qui et grammaticum opus et thesaurum verborum dedit, et litteras ad repetendos libros formandas curavit. Hic eorum studiorum princeps: cui nescio an secundum se adjunxisset Agricola, nisi absumptus esset præmatura morte. Nam quum ex ipso scimus, Heidelbergæ multum eum in Hebraicam linguam contulisse laboris, ac senectutem huic studio destinavisse, tum per totam vitam eum non alienum a theologia fuisse, testantur hæc Melanchthonis verba: « De theologia solitus est accuratius disputare, ut satis appareret eum tota mente totoque animo amplecti et ve-

nerari christianam religionem et abhorrere ab impietate¹. » Ita sanctarum litterarum codices non tantum sermonis gratia perlegendos putabat, ut litteratus homo, sed alteram quamdam sublimiorem philosophiam ex eo fonte ducebat, ut theologus. Cujus rei exemplum habet epistola ad Barbirianum : quo in loco, quum bene vivendi rationem ab antiquis poetis, historicis, oratoribus, philosophis, petendam demonstrat, hæc adjicit : « Per hæc gradus ad sacras litteras faciendus est, et ad illarum præscriptum dirigendus vitæ nobis ordo, saluberrimisque illis ducibus de nostra salute credendum. Reliqua omnia aliorum tradita, plus minusve, erroris tamen habent admixtum aliquid. Neque enim contingere potuit eis, ut rectum et nulla aberrantem parte cursum vitæ instituerent, qui quis esset vitæ propositus finis, aut nescirent, aut veluti per nubem spectantes suspicerentur, dicerentque constantius quam crederent. At sacræ litteræ, tam longe ab omni errore remotæ, quam qui eas tradidit, Deus, hæ sunt, quæ solæ nos certa, solida rectaque ducunt via, quæque omni discussa caligine, sequentem se non falli, non excidere, non usquam aberrare patiantur². »

Hæc verba non ex sua sola, sed ex multorum dicebat mente ac sententia : nam, si non propria ac singularia, sed universa quæramus, fere omnes tunc in Germania cogitationes ac desideria pertinebant ad religio-

¹ Ep. ad Alardum (in Lucubrationibus, initio).

² Lucubrationes, p. 194.

nem. Quod ipse tamen Agricola ab aliquibus dicitur putasse christianam fidem esse corrigendam, hoc non pro certo habetur¹. Neque vero impendentes providebat tempestates: namque futurum erat, ut doctissimi Germaniæ viri, ab innocente illo cum antiquis Musis commercio, intra vitæ quasi undas raperentur et civiles fluctus. Sed antequam iterum amitterentur liberales doctrinæ, qui etiamtum commorabantur in eis, ad ecclesiasticas res se contulerunt. Atque ita humanitatis cultus in Germania suum orbem explicavit, a juvenibus illis, qui ætatem ducebant inter Senecam et Imitationem Christi, usque ad Melanchthonem, qui sanctos libros Platonicis scriptis variare solebat. Sed medio tempore Germana gens, dulci quadam oblivione sui, antiquæ venustatis speciem contemplata erat: quod notandum videbatur nobis.

¹ Confer *Mathiæ Flacii Illyrici Catalogum testium veritatis* (Argentiniæ 1562), pag. 563: — *Melchioris Adami Vitas philosophorum*, p. 6 sq.: — *Bayle* (*Agricola*).

APPENDIX

Agricolæ opera,

quæ exstant, omnia inveniuntur in editione Alardi, præter *Commentaria in Boethium*, quæ Murmelius cum hujus operibus dedit (Daventriæ, s. a.).

Alardi editionis duo sunt tomi, sic inscripti :

1. *Rodolphi Agricolæ Frisii* de Inventione dialectica libri omnes et integri et recogniti, qui jam olim quidem in publicum prodierunt, sed trunci ac mutili nec minus item depravati, nunc demum ad autographi exemplaris fidem, per *Alardum Æmstelredamum* accuratius emendati, et additis annotationibus illustrati. — Cum aliis non parum multis eodem pertinentibus, atque iis sane jam nunc primum editis.

2. *Rodolphi Agricolæ Frisii* Lucubrationes aliquot lectu dignissimæ, in hanc usque diem nusquam prius editæ, ceteraque ejusdem viri plane divini omnia, quæ exstare creduntur, opuscula, plusquam depravatissime ubique jam olim excusa, nunc demum ad autographorum exemplarium fidem, per *Alardum Æmstelredamum* emendata, et additis scholiis illustrata.

Coloniæ, apud Joannem Gymnicum, anno 1539.

His duobus tomis continentur :

1. *De Inventione dialectica* libri tres.

2. *Commentaria* :

Scholia in orationem *pro lege Manilia*, quibus ea potissimum, quæ ad dialecticam, hoc est, inveniendi judicandique rationem attinere videntur, breviter explicantur.

L. A. Senecæ declamationes aliquot, cum Rodolphi Agricolæ commentariolis.

3. *Translati libri :*

Aphthonii sophistæ Progymnasmata.

Demosthenis simul et *Æschinis* oratiunculæ aliquot.

Isocratis ad Demonicum parænesis.

Isocratis libellus de regno, ad Nicoclem Cypri regem.

Luciani de non facile credendis delationibus libellus.

Platonis Axiochus, libellus pulcherrimus de non metuenda morte.

Luciani Gallus, dialogus de humanorum statuum vanitate pulcherrimus.

4. *Orationes :*

De nativitate sive immensa natalis diei Jesu Christi lætitia oratio.

Oratio in laudem Matthiæ Richili.

In laudem philosophiæ et reliquarum artium oratio, dicta in studiorum ad hiemem innovatione.

Gratulatoria oratio, pro Joanne Camerario Dalburgio, Vormatiensi Episcopo, ac oratore illustrissimi Philippi Comitis Palatini Rheni, dicta Innocentio octavo Pontifici maximo.

5. *Epistolæ* ad Antonium Liberum, Rodolphum Langium, Joannem Reuchlinum, Alexandrum Hegium, Jacobum Barbirianum, Joannem fratrem.

6. *Carmina :* *Anna mater*, hymni, panegyrici, epigrammata, epitaphia.

De Agricolæ vita et meritis testimonia.

* Hujus (Vesseli) e lampade lumen accendens suum Rodolphus Agricola, ætate junior, eadem in regione Frisiæ obscuris natalibus apud Balloos ortus. tantum sibi in litteris nomen paravit per omnem Europam, ut non solum ceteros ante se Germanos per multa retro sæcula, quod in confesso est, sed ipsum etiam Ves-

selum superarit, Gallos vicerit, Italis admirationi maximæ fuerit. De quo sane in universum silere præstat, quam pauca, et infra modum gloriæ ejus, hoc loco, ubi breves esse cogimur, dicere : præsertim tota viris clarissimis decantata laude ipsius, et fama cunctis litteratis notiore, quam ut indicari opus habeat. Unum modo me abripit, ut id præterire silentio non queam, quod sæculo nimirum tam barbaro, crassissimis in tenebris, et litterarum ignoratione, tantum proficere ingenio paucis annis potuerit. Nam *quem annum XLII. vivendo nondum complisset*, multumque interea tribuisset peregrinationibus, conviviiis, genio, jocos, in Musica quoque operam posuisset, immatura morte abreptus est Heidelbergæ ad Nicrum flumen, *anno post natum Christum MCCCCLXXXVI*, ad exitum mensis Octobris. Cui si superesse licuisset diutius, quid non ille in litteris fuisset assecutus? quorum non gloriam procul a tergo reliquisset? quem in ista quoque ætate extinctum, admiratione doctrinæ ejus excellentis, Italorum suæ ætatis doctissimus Hermolaus Barbarus Venetus Patriarca Aquilejensis hoc epitaphio prosecutus est :

Invida clauserunt hoc marmore fata Rodolphum
 Agricolam, Frisici spemque decusque soli.
 Scilicet hoc vivo meruit Germania, laudis
 Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet. »

Rerum Frisicarum historia, auctore *Ubbone Emmio Frisio*. Lugduni Batavorum, apud Ludovicum Elzevirium, 1616. Lib. xxx. p. 457.

« Rodolphus Agricola Frisius, quem ego virum totius tum Germaniæ, tum Italiæ publico, summoque honore nomino : ilius quæ genuerit : hujus, quæ litteris optimis instituerit. Nihil enim unquam hoc cisalpinus orbis produxit omnibus litterariis dotibus absolutius, absit invidia dicto. Nulla erat honesta disciplina, in qua vir ille non poterat cum summis artificibus contendere. Inter Græcos græcissimus, inter Latinos latinissimus. In carmine Maronem alterum dixisses : in oratione Politianum quemdam lepore referebat, majestate superabat. Oratio vel extemporalis adeo pura, adeo germana, ut non Frisium quempiam,

sed urbis Romanæ vernaculum loqui contenderes. Eloquentiæ tam absolutæ parem adjunxerat eruditionem. Philosophiæ mysteria omnia penetraverat. Nulla pars musices, quam non exactissime calleret. Extremo vitæ tempore ad litteras Hebraicas ac scripturam divinam totum animum appulerat. Atque hæc conantem fatorum indivia virum terris eripuit, *nondum annos natum quadraginta*, sicut accipio.....

« His itaque tam plenis tamque absolutis viri laudibus, equidem fateor me peculiarius etiam atque impensius favere, quod mihi admodum adhuc puero contigit, uti præceptore, hujus discipulo, Alexandro Hegio Vestphalo, qui ludum aliquando celebrem oppidi Daventriensis moderabatur, in quo nos olim admodum pueri utriusque linguæ prima didicimus elementa : vir, ut paucis dicam, præceptoris sui simillimus : tam inculpata vitæ, quam doctrinæ non trivialis, in quo unum illud vel Momus ipse calumniari fortasse potuisset, quod famæ plus æquo negligens, nullam posteritatis haberet rationem. Proinde si qua scripsit, ita scripsit, ut rem ludicram, haud seriam egisse videatur. Quamquam vel sic scripta, sunt ejusmodi, ut eruditorum calculis immortalitatem promereantur. »

Erasmus in Adagiis, Chil. I. CENT. n° 39.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. VII. Kal. Jul. ann. MDCCCLXIV,
Facultatis Litterarum in academia Parisiensi Decanus,

J.-VICT. LE CLERC.

Typis mandetur :
Parisiensis academix Rector,

A. MOURIER.
